



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 3. Vtrum omnes ad confessione[m] teneantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS III.

Vtrum omnes ad Confessionem teneantur?

16
Nondum
baptizati,
non tenentur
ad confessionem.

Respondeo & Dico Primò: Qui nondum sunt baptizati, non tenentur confiteri. Probat hoc Dominicus Soto, quia hi solum tenentur ad fident & ad baptismum. Sed hoc verum non est: nam etiam tenentur ad Eucharistiam, ita vt ante baptismum hanc obligationem habeant, quamuis eam non possint prestare, nisi post baptismum; vt supra dictum est q. 80. a. 11. dub. 1. num. 31. Vera ergo ratio est, quia peccata illorum non sunt materia huius Sacramenti. Solum autem obligamur ad hoc Sacramentum ratione materiae necessariae.

Tenentur
baptizati.

Dico Secundò, Baptizati omnes obligantur ad confessionem, qui post baptismum in aliquod peccatum mortiferum inciderunt, etiamsi hoc peccatum solum naturam posterius sit ipso baptismo; quale est, sacrilegium, quod committitur facta baptismi susceptione; vt supra dictum est q. 69. a. 10. dub. 2. num. 19.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quis teneatur confiteri peccatum, quod non habet?

17
Omnia
& sola
mortifera
confiteri,
eo quo tibi
conficius es
modo.

Respondeo quemque debere confiteri omne, & solum peccatum mortiferum, quod habet in conscientia, & eo modo, quo sibi conscius est; scilicet confitendo certa tanquam certa, dubia tanquam dubia, nihil augens, nihil imminuens.

Notandum est in Responsione ad 3. Quidquid committit homo vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortiferum, peccat mortifere, quod se committat discrimini. Sic quoque discrimini se committit, qui negligit confiteri id, quod est dubium, sine mortale, an non: quare peccat mortaliter. Quod tamen sic intellige, si nimirum ita dubitet, vt non habeat probabiles rationes ad credendum, non fuisse mortiferum. Si enim habeat probabiles rationes, vel probabile iudicium Sapientum, non fuisse peccatum mortiferum, potest omittere eius confessionem. Ratio est, Quia cum tali iudicio positiuo posset operari, v. g. facere talem contractum, nec peccaret mortifere: ergo multò magis poterit omittere eius confessionem, tanquam non sit peccatum mortiferum; eò quòd probabiliter credat, non esse.

Dices: Melior est conditio possidentis: ergo etià in dubio negatiuo non tenetur homo seipsum accusare, videlicet quando nescit quale peccatum sit. Confirmatur: quia ob hanc causam non tenemur respondere Iudici, quando nescimus an legitime interroget.

Respondeo Negando Consequentiam: Hoc enim solum locum habet, quando confessio, siue patefactio rei cedit in notabile praiudicium meum vel alterius: vt latius diximus de Iustit. & Iure lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 10. hic verò non cedit in tale praiudicium, sed in magnum commodum.

ARTICVLVS V.

Vtrum peccator teneatur statim Confiteri?

Respondeo, Neque Iure Diuino, neque Ecclesiastico tenetur peccator statim, id est, primà opportunitate confiteri. Est communis sententia DD. Non Iure Ecclesiastico, quia Ecclesia solum praecepit vt singulis annis confiteamur, vt patet ex Capitulo, *Omnis viriisque sexus*. Non Diuino, quia praeceptum confessionis est affirmatiuum; quod non obligat ad statim, sed suo tempore: praesertim cum sine actuali confessione homo possit amicitiam diuinam recuperare. Praeterea, si iure Diuino teneremur statim à commisso peccato confiteri, Ecclesia determinans annuum tempus, apertam dedisset occasionem errandi. Tali enim determinatione satis insinuat, nos iure Diuino non obligari ante annum.

18
Nullo iure
tenetur
prima oportunitate
confiteri

DVBIUM I.

Quando praeceptum confessionis obliget nos In iure Diuino?

Respondeo & Dico Primò: Ratione sui obligat nos in articulo mortis, id est, quando quis tendit ad mortem: vt cum quis supplicio est afficiendus, cum valetudo est desperata, &c. Simili modo obligat in periculo mortis: vt, dum instat praelium, vel partus periculofus, &c.

Probat, Quia hoc praeceptum debet aliquando seruari ab eo, qui sibi conscius est peccati mortiferi: ergo maxime in articulo vel periculo mortis: si enim tunc non seruetur, non potest postea amplius seruari. Deinde, quia tunc maxime tenetur reconciliari Deo, quando est periculum aeternae inimicitiae, & propriae salutis. Neque tunc sufficit votum, si possit reipsa expleri: quia hoc votum post mortem expleri non potest. Denique, censetur negligens suae salutis, si tunc certioribus remedijs non utatur. Vnde Iacobi 5. vers. 14. cum dixisset Apostolus: *Si quis infirmatur in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae; subiungit v. 16. Confitemini alterutrum peccata vestra, vt saluemini*. Vide etiam Capitulum. *Si infirmitas*, de Pœnitentijs & confessionibus, ex Concilio Magno Lateranensi, vbi praecipitur Medicis sub pena excommunicationis ferenda, vt ante omnia inducant infirmum ad confessionem.

Vtrum verò etiam Iure diuino obliget sub mortali, vt non nimis diu differatur in vitam, sicut dictum est de contritione, est dubium. Probabilius tamen videtur non obligare per se, nisi in articulo & periculo mortis. Ratio est, Quia non praecipitur Iure diuino confessio peccatorum, nisi ratione iustificationis: atqui possumus iustificari per contritionem cum voto confessionis, quod votum potest impleri, quòd videbitur esse aliquod mortis notabile periculum. Secus est de contritione, quia sine eà non possumus iustificari, sed manemus in Dei inimicitia: vnde non licet eam nimium diu differre.

Dico Secundò: Per accidens, seu ratione alterius praecepti obligamur ad confessionem Iure Diuino multis casibus. Primò: Quoties accedendum est ad Communionem, iuxta supra dicta; quamuis

19
Obligat
per se in
articulo
& in periculo
mortis.

20
Non obligat nisi diu in vita differatur.

21
Per accidens rationem obligat pluribus casibus.